

objectum, nisi intentionis, et simplicis voluntatis, ac fruitionis, licet sub diverso modo, et respectu; intentio enim respicit finem, ut assequendum per media, sicque virtualiter attingit illa, a quibus fruitio, et simplex volitio abstrahunt.

XVI. Secunda vero pars conclusionis affirmat has bonitates, et malitias communicari de uno actu ad alium, ita ut actus finis ex mediis possit vitari, et actus circa media ex malo fine, vel etiam inde bonitatem contrahere. Nec in hoc est difficultas quoad rem ipsam, constat enim actum eleemosynæ, si fiat propter finem charitatis meliorari ex tali circumstantia finis imperantis, atque adeo communicare de illa bonitate. Actus etiam intentionis, qui melioribus mediis utitur ad suam consecutionem, melioratur inde tamquam ex effectibus consecutis, qui pertinent ad circumstantiam quid. Et generalis ratio istorum est, quia cum unus actus connectitur, cum alio, aut quia causatur illum, aut quia causatur ab illo, habet rationem circumstantiæ, vel finis, vel effectus respectu alterius, ergo communicat illi propriam bonitatem, vel malitiam, sicut omnis circumstantia sua principali. Expresse etiam hoc ipsum affirmat D. Thomas in hac quæstione xx, art. i et iii et iv, fere per totam.

XVII. Difficultas vero est in explicando quomodo istæ bonitates deriventur de uno actu ad alium, an per intrinsecam habitudinem, aut impressionem unius actus in alium; an per extrinsecam tantum denominationem. Nam in articulo tertio hujus quæstionis xx, solutione ad tertium aperte D. Thomas ponit esse hanc derivationem per denominationem extrinsecam, sicut a sanitate animalis denominatur medicina, et urina sana. Dicit enim: « Quod quando unum derivatur in alterum,

sicut ex causa agente univoca, tunc aliud est quod est in utroque, sicut cum validum calefacit, alius numero calor est calefacientis, et calor calefacti, licet idem in specie. Sed quando aliquid derivatur ab uno in aliud secundum analogiam, vel proportionem, tunc est tantum unum numero, sicut a sano quod est in corpore animalis derivatur sanum ad medicinam, vel urinam, nec alia sanitas est medicinæ et urinæ, quam sanitas animalis, quam medicina facit, et urina significat. Et hoc modo a bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris, et e converso, scilicet, secundum ordinem unius ad alium. » Ecce quam manifeste S. Thomas ponit istam derivationem bonitatis, et malitiæ de uno actu in alium per solam extrinsecam denominationem, non per realem impressionem, et respectum eo quod est una et eadem bonitas numero ea, quæ ab uno actu communicatur ad alium, sicut una sanitas numero, quæ denominat animal sanum et medicinam, et quia idem numero non potest esse in duobus subjectis intrinsece et realiter, relinquatur quod in altero solum potest esse extrinsece, et denominative.

XVIII. Nihilominus distinguendum est in istis denominationibus extrinsecis, quæ proveniunt ex derivatione, seu communicatione unius erga aliud, quod aliud est, an communicetur realiter ipsamet forma specifica, quæ est in communicante, ita quod sit ejusdem speciei in uno, atque alio realiter et intrinsece; aliud an communicetur aliquid reale quidem, et intrinsecum per modum respectus, et ordinis per quem ordinetur, et tendat ad aliud, et denominationem accipiat ab eo. Invenimus enim formas extrinsece denominare posse subjecta. Uno modo per puram assistentiam ex-

trinsecam sine alio reali respectu ad talem formam, ut denominatio visi in pariete ad visionem, quæ est in oculo, nihil enim reale etiam per modum respectus realis est in pariete ad visionem, ut denominetur visus, sed sola et nuda visionis existentia in oculo erga parietem. Alio modo denominatur res ab aliqua forma extra se posita, et extrinsecus existente, non tamen per solam illam existentiam extrinsecam, sed mediante aliqua realitate intrinsecus sibi inhærente per quam proportionetur, et ordinetur ad alterum, sicut res denominatur locata a loco circumdante, et vestita a veste induente, et tamen locus ipse extrinsecus non sufficit denominare locatum nisi mediante ubi quod est modus quidam extrinsecus in re locata mediante quo respicit locum, et ab eo circumscribitur. Et medicina, vel cibus dicitur sanus a sanitate extrinseca animalis, supponendo tamen in se qualitatem aliquam, seu virtutem, qua possit efficere sanitatem, quæ realis virtus est, distincta tamen a sanitate ipsa animalis, sicut ubi est modus distinctus a superficie locante, tamen mediis illis recipitur denominatio a forma illa extrinseca.

XIX. Quæ doctrina desumitur ex D. Thoma quæst. i de veritate, art. iv, in fine corporis, ubi inquit: « Quod denominantur res veræ a veritate, quæ est in intellectu divino, vel in intellectu humano, sicut denominatur cibus sanus a sanitate, quæ est in animali, et non sicut a forma inhærente, sed a veritate, quæ est in ipsa re, quæ nihil est aliud, quam entitas intellectus adæquata, vel intellectum sibi adæquans, sicut a forma inhærente, sicut cibus denominatur sanus a qualitate sua, a qua sanus dicitur. » Ubi clarissime D. Thomas fatetur in his analogis attributionis duplici via sumi deno-

minationem, et a forma extrinseca quæ est in principali analogato intrinsece, et in aliis denominative, ut sanitas in animali, non in medicina, et a forma inhærente, seu intrinseca in ipso minus principali analogato, et hæc non est sanitas, sed qualitas, seu vis effectiva sanitatis, quæ est qualitas alterius speciei, et in aliis potest esse solum ordo aliquis, seu proportio ad principale analogatum, sicut media dicuntur bona ex proportionem, seu ordine ad finem, quæ proportio eis intrinseca est.

XX. Applicando ergo hanc doctrinam præsentī conclusioni, dicimus quod quando bonitas propria actus derivatur, et communicatur exteriori, et imperato, vel e converso, talis quidem bonitas non communicatur secundum eamdem speciem simpliciter alteri actui, ut si eleemosyna fit ex fine charitatis, non communicatur eleemosynæ quod sit charitas, seu habeat speciem charitatis, sed tamen communicatur aliquid intrinsecum, scilicet ordo, et proportio istius actus ad alium mediante quo denominatur a bonitate, vel malitia existente in altero actu, et participative est charitas. Itaque non fiunt istæ derivationes, et communicationes per nudam denominationem extrinsecam et puram assistentiam extrinsecam illius formæ, sed per intrinsecum respectum, et ordinem ad illam bonitatem, ut ad circumstantiam sui. Qui respectus non est ipsamet bonitas, ut est in actu imperante, et interiori, sed ordo quidam, seu proportio ad ipsam.

XXI. Et hanc esse mentem D. Thomæ constat; tum, quia in hoc ipso articulo tertio, hujus quæstionis xx dicit: « Derivari bonitatem unius actus in alium, hoc modo, scilicet secundum ordinem unius actus ad alium » in solutione ad tertium. Si ergo est

secundum ordinem unius ad alium, non ergo secundum meram denominationem extrinsecam: et in corpore articuli dicit: « Quod in his, quæ ad aliud ordinantur contingit, quod aliquid est bonum ex hoc solo quod ad aliud ordinatur, sicut potio amara ex hoc solo est bona quod est sanativa. » Et tamen constat in potione amara, et aliis mediis ordinatis ad finem inveniri aliquem respectum, seu proportionem ad finem per aliquid intrinsecum. Tum etiam, quia hoc expressit S. Thomas quæst. XVIII, art. IV ad secundum, dicens: « Quod licet finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio, et relatio in ipsum inhæret actioni: » ubi contraponitur causa extrinseca relationi inhærenti, atque adeo supponitur ipsam relationem esse intrinsecam: et hoc ipsum inhærentiæ nomen designat, nec enim inhærere potest, si solum extrinseca denominatio fit. Ergo secundum doctrinam D. Thomæ bonitas unius actus ita derivatur in alium per denominationem extrinsecam ab ipsa ut a forma dominante, quod tamen supponit aliquem respectum, seu proportionem intrinsecam, qua ordinetur actus ille alter ad istum priorem dominantem, et sic recipiat denominationem ab illius bonitate. Unde per aliquam impressionem, seu respectum intrinsecum fit illa communicatio, et derivatio, licet hic respectus, et hæc impressio non sit ejusdem speciei simpliciter cum bonitate propria alterius actus, sed solum participative, scilicet ordo, et respectus ad ipsam ut possit ab ea denominari, sicut virtus medicinæ ad sanandum non est ejusdem speciei cum ipsa sanitate animalis. Sed tamen ipsa formalis denominatio a bonitate extrinseca existente in actu interiori fit secundum eandem specificam rationem ejus in actu exteriori, imo

et ab eadem numero forma, seu bonitate existente in actu interiori, quatenus extrinsece tangit exteriorem actum, sicut a sanitate existente in animali denominatur medicina non solum efficiens, vel respiciens sanitatem animalis (quod sibi intrinsecum est) sed etiam denominatur sana secundum ipsam specificam rationem sanitatis animalis, quod sibi extrinsecum est. Et hoc solum intendit D. Thomas in auctoritate adducta in contrarium, scilicet quod per extrinsecam denominationem fit ista derivatio bonitatis actus interioris in exteriorem quantum ad denominationem ipsius bonitatis sumptæ secundum specificam suam rationem, ut quod elemosyna denominetur charitas, quia imperatur a charitate; quod adulterium denominetur homicidium si imperetur ab illo; jejunium dicatur pœnitentia si ab illa imperetur; hoc enim fit ab una, et eadem bonitate, vel malitia actus interioris tangente extrinsecus exteriorem, licet denominetur respiciens, et ordinata ad illam bonitatem actus interioris per intrinsecam tendentiam, et ordinem ad illum actum a quo imperatur, vel quem imperat.

XXII. Sed quæres, qui est iste ordo, seu respectus, et cujus speciei moralis, si non est ipsamet species bonitatis, aut malitiæ actus interioris, et quomodo imprimatur actui exteriori. Respondetur illum respectum esse eandem tendentiam, qua actus in quantum moralis tendit ad principia moralitatis, scilicet ad objectum, et circumstantias, quæ circumstantiæ cum variæ sint, et diversam bonitatem, aut malitiam habeant, etiam respectus ille in quantum ad tales circumstantias terminatur diversam speciem bonitatis, aut malitiæ habet, quæ accidentaliter comparatur ad actum cui superveniunt et accidunt tales cir-

cumstantiæ, eo quod circumstantiæ accidentalem malitiam, vel bonitatem dicunt respectu actus cujus circumstantiæ sunt. Igitur respectus, et ordo in actu ad circumstantiam, seu finem alias ex genere suo bonum vel malum, reducitur ad eandem speciem moralem ipsiusmet finis tamquam quædam participatio ejus, et hoc ipso quod est reductive tale, est imperfecte et secundum quid in illa specie, non perfecte et simpliciter: sicut embryo hominis non est simpliciter homo, sed secundum quid et reductive, sicut homicidium factum propter furtum, non est simpliciter furtum, sed reductive et secundum quid, quia participat aliquo modo de furto cum ordinetur ad illud. Quod si sit actus indifferens, qui non habeat aliam speciem mali quam furtum, adhuc non dicitur habere speciem perfectam furti, sed secundum quid et reductive pertinentem ad furtum, nam ambulare, vel aspicere ad furandum, non est furari, sed est actus deserviens furto, et ex hoc malitia furti tingitur participative. Et aspicere mulierem libidinosè non est mœchari simpliciter, sed mœchatus est eam, inquit, in corde suo, quia in corde seu in actu interiori est malitia mœchiæ, non in aspectu nisi participative, et reductive.

XXIII. Quomodo autem imprimatur, vel nascatur respectus ille in actu ad illum finem, seu malitiam actus interioris, respondetur nasci et imprimi cum actus vitaliter egreditur a sua potentia in ordine ad objectum sic propositum ad dictamen cum tali fine et circumstantiis, ab illo enim haurit malitiam, quia cum respectu ad illud sic circumstantionatum producitur, et elicitur. Constat enim, quod potentia eliciens actum specificatum ex objecto, et ordinatum ad illud, per ipsam elicientiam debet producere actum

cum habitudine et ordine ad tale objectum, quod sibi propositum est per rationem, et dictamen. Et cum non sit propositum nude, sed sub aliquibus circumstantiis et fine, in ipsa productione vitali actus cum respectu, et tendentia ad tale objectum, tangit etiam respectus ille circumstantias et finem, quibus objectum illud vestitur et proponitur, ideoque respectus ille, quia in ipsa vitali egressione imprimitur, et nascitur in ipso actu immanenti interno, non potest ab illo removeri et mutari, nisi intrinsece mutetur actus, et nova productione vitali alius actus fiat.

XXIV. Tertia conclusio supra posita, quæ ex D. Thoma desumitur in hac quæstione XX, art. I et II, explicat ordinem, quo istæ bonitates, aut malitiæ conveniunt istis actibus, et quomodo ex uno derivetur, et communicetur ad alium. Cujus intelligentia consistit in advertendo, quod isti actus, interior voluntatis seu imperans, et exterior imperatus, ita se habent, quod quilibet habere potest suum proprium objectum, et ab illo bonitatem, vel malitiam suam specificam haurit, quæ uniuscujusque propria est. Et rursus unus actus potest esse circumstantia alterius, et consequenter propriam bonitatem, vel malitiam quam habet participare illi, si quidem proprium est circumstantiæ communicare actui bonitatem, vel malitiam suam, sicut omne accidens communicat subjecto effectum formalem suum: et constat actus inter se connexos tamquam causa, habere ad invicem rationem circumstantiæ, quia actus qui est causa tamquam finis comparatur ad actum imperatum et exteriorem ut circumstantia finis, et actus imperatus, seu exterior comparatur ad interiorem et imperantem, ut circumstantia quid, quæ est circum-

stantia effectus. Quare tota ista doctrina, vel difficultas de modo quo convenit bonitas, et malitia actui interiori, et exteriori, eadem est cum illa, quæ circumstantia finis, vel effectus communicat bonitatem, vel malitiam suam actui habenti bonitatem, vel malitiam suam specificam, et essentialem, quas circumstantias constat communicari modo supradicto.

XXV. Sic ergo explicatur, et probatur conclusio per suas partes. Nam primo dicit, quod bonitas ex fine per prius invenitur in actu interiori. Hoc certissimum est, quia finis est objectum actus interioris, seu imperantis, ergo bonitas ex fine propria est actus interioris, quia objectum specificum proprium est actus specificati a se, nec in alio actu proprie invenitur, sed si invenitur, erit participative, et accidentaliter, id enim quod specificativum est, proprie, et per se invenitur in specificato, in eo autem quod non specificatur accidentaliter solum participat, invenitur participative, et derivative ab isto. Videatur D. Thomas quæst. xviii, art. vi, ubi ostendit specificam bonitatem, vel malitiam sumi ex fine in actu voluntatis interiori, non in exteriori, respectu ejus circumstantia est.

XXVI. Secundo dicitur in conclusione, quod in actu exteriori, seu imperato est illa bonitas finis participative, et accidentaliter sicut circumstantia. Et hoc etiam est certum, quia finis imperans dat circumstantiam actui imperato, et sic participat ei bonitatem, vel malitiam suam non essentialiter, quia circumstantia est, sed accidentaliter. De quo modo participandi bonitatem, vel malitiam ex parte finis plura diximus disputatione præcedenti. Hanc autem bonitatem per modum circumstantiæ communicat actus interior exteriori, quatenus ad illum

moveret, et iste actus quatenus motus a tali fine, et executio atque effectus ejus participat illam bonitatem finis ut circumstantiam, quia verum est quod actus exterior, et imperatus non elicitur, neque suam essentiam habet productam et in esse, nisi motus, et causatus a tali causa finali. Et sic producitur cum respectu, et ordine ad talem actum, qui est causa sui. Quapropter talis actus in executione positus supponit antecedere actum interiorum, et consequenter ejus bonitatem, vel malitiam habitam ex fine tamquam ab objecto, si quidem ab illo movetur, et imperatur actus exterior ut fiat, et sit.

XXVII. Additur tertio in conclusione, quod bonitas ex objecto, et circumstantiis aliis præter finem per prius invenitur in actu exteriori ut in specificato ab ipso, bonitas vero, quæ est ex fine, tota dependet a voluntate, et actu interiori in actu imperato, non vero quæ est in objecto proprio. Hæc deducitur ex dictis, quia actus exterior, seu imperatus proprium objectum, et specificationem habet, quia distinctum objectum habet ab actu interiori imperante, quia actus interior habet pro objecto finem, exterior vero media, vel finem inferiorem, et intermedium imperatum. Constat autem quod bonitas, vel malitia a tali objecto desumpta, quæ specifica est in illo actu, non est participative, et accidentaliter derivata ab actu interiori imperante, sed immediate ab objecto talis actus desumpta (supponendo quod sit propositum a ratione tamquam conditio) quia specificat ipsum, non accidentaliter ei convenit ex participatione alterius actus; ergo immediatius convenit ipsi actui, ejus est proprium, et specificativum objectum, et consequenter per prius. Secus est in bonitate, quæ non est ex objecto proprio,

sed ex fine, qui est objectum interioris actus, talis enim bonitas est circumstantia in actu imperato, et exteriori, non propria, et specificativa illius, et sic debet derivari ex actu interiori ut movente, et finalizante ipsum, et sic tota dependet a tali actu interiori cui per se, et primo convenit, quod non currit in bonitate accepta in actu exteriori ab objecto suo proprio specificativo, hoc enim per se immediate specificat.

XXVIII. Solum habent difficultatem verba D. Thoma in articulo primo, quæst. xx, ubi dicit: « Quod bonitas, vel malitia, quam habet actus exterior secundum se propter debitam materiam, et debitas circumstantias, non derivatur a voluntate, sed magis a ratione. Unde si consideretur bonitas exterioris actus secundum quod est in ordinatione, et apprehensione rationis, prior est quam bonitas actus voluntatis, sed si consideretur secundum quod est in executione operis, sequitur bonitatem voluntatis, quæ est principium ejus. » Quæ verba difficultatem faciunt, nam si bonitas quam habet exterior actus ex objecto non derivatur a voluntate, quia specifica bonitas ejus est, ergo non potest etiam derivari in ipsum actum in executione a bonitate voluntatis, seu actus interioris, quia etiam pro actu in executione sumpto bonitas objecti ejus bonitas specifica est; ergo non sequitur ad bonitatem voluntatis, neque ista bonitas voluntatis ejus principium est, cum non ab ea dependeat in sui specificatione, sed solum ab objecto per rationem propositum. Si enim dixisset D. Thomas, quod actus exterior in ea bonitate, quam participative habet a fine sequitur in executione bonitatem talis voluntatis, recte intelligeretur, sed quod in ipsa bonitate specifica, quam habet

actus exterior a suo objecto, et quæ non derivatur ab actu interiori voluntatis, ut dicit in prioribus verbis D. Thomæ sequatur bonitatem voluntatis quando fit in executione, quia est principium ejus, hoc valde difficile est, cum in executione etiam bonitas ex objecto sit ei specificativa, ergo consecuta ad bonitatem voluntatis interioris.

XXIX. Respondetur verba doctoris sancti legitimum, et verum sensum habere: consideravit enim quod actus exterior habet duplex principium. Unum a quo specificatur per se et immediate, aliud a quo finalizatur et movetur ut sit, nam finis non ad specificationem movet, sed ad existentiam rei faciendæ, quia finis movet ipsum efficiens ut operetur, efficiens autem causat effectum suum ut existentem, quia extra causas eum ponit, non ipsum specificat, specificare si quidem proprium est causæ formalis. Principium ergo a quo specificatur actus exterior, est objectum, et in hoc genere specificandi non dependet, nec derivatur illa bonitas a voluntate, id est, ab actu interiori voluntatis, sed a ratione, id est, ab objecto proposito per rationem; et sic in ipsa propositione rationis et ordinatione illius talis bonitas prior est (seu potest esse) quam bonitas actus interioris, quia antequam quis velit finem potest apprehendere objectum quod illi fini subordinandum est, sive ut medium, sive ut finis inferior. At vero principium a quo movetur actus exterior ut sit, est ipse finis non quomodocumque sed jam volitus, ex voluntate enim finis, et amore illius movemur ad volenda media, et sic voluntas finis, et bonitas talis voluntatis est prior voluntate mediorum, seu actu exteriori, et bonitate ejus ab objecto suo accepta, quia est principium ejus non specificativum, sed mo-